

XX

W. Ashmole

Dale

203332

DE

PRAELECTIONIBUS CURSORIIS

IN

VETERIS TESTAMENTI

TEXTUM HEBRAICUM.

PROGRAMMA,

QUOD

AD CELEBRANDAM DIEM ~~X~~ DECEMBRIS

IN ACADEMIA ALEXANDRO-NEVENSI

EDIDIT

Dr. JOANNES DE HORN,

Professor philosophiae

et linguarum orientalium ad Academiam Alexandro-
Nevensem; S. Caesar. Majest. a consiliis aulicis.

PETROPOLI,

EX OFFICINA F. DRECHSLERI.

1810.

Ex privilegio Censurae programma hoc typis
exprimere licet. Attestor seminarii Rector,
Archimandrita ANATOLIUS.

PROVIDENTISSIMAE
SOCIETATI
ECCLESIASTICAE
SCHOLAS DIRIGENTI

SUMMA CUM OBSERVANTIA ANIMIQUE PIETATE

COMMENTATIONEM HANC QUALEMUNQUE

OFFERT AC DEDICAT

A U C T O R .

THE
SOCIETY
OF
SCHOOLMASTERS

OF
ENGLAND

AND

OF
WELSH

AND

OF
SCOTLAND

ARGUMENTUM.

A. **INTRODUCTIO.** Docetur necessitas studii linguae hebraicae et Vet. Test. Refelluntur obiectiones. Prudentia Societatis ecclesiasticae scholas dirigentis in revocando studio linguarum Orientalium et praecipue sermonis hebraici.

B. **PROGRAMMA.** *De lectionibus cursoriis in Vet. Test. textum hebraicum.*

1. De fine et scopo harum recitationum.
2. De methodo in his scholis obeundis observanda.

C. **CONCLUSIO.** De exercitationibus auditorum practicis cum his lectionibus conjungendis. Ab ardore et studio auditorum optima quaeque expectare licet. Quantum debeant patriae ac Societati ecclesiasticae scholas dirigenti in memoriam illis revocatur.

MEMORANDUM

A. [Illegible text]

B. [Illegible text]

C. [Illegible text]

Inter plurima et maxima, quibus recentiori aetate *Societas Ecclesiastica scholas dirigens Petropolitana* Christianum orbem imperii Ruthenici cumulavit beneficia, est etiam hoc, quo studium omnium in genere linguarum Orientalium revocavit, et praecipue institutiones hebraicas in academiis iussit habendas. Discimus nos Gallorum, Anglorum, Italarum aliorumque populorum verba atque voces — et illam non disceremus linguam, quae antiquissimis mundi sermonibus adnumeranda est, sine cuius cognitione ipsa graeca N. T. lingua, ad rationem cogitandi et loquendi Hebraeorum composita, bene intelligi nequit, et quae liberam Vet. Test. lectionem nobis parat? Communis quidem est illa et vulgaris multorum exceptio, qui versiones latinas hodie extantes sufficere posse putant,

atque vim sermonis non in sono vocabulorum esse sitam dicunt, sed in eo, cuius literae et voces sunt signa; attamen inconcussum omnino manet hoc, Hebraeam linguam suas habere proprietates, quas latina interpretatio non valet assequi, atque emphasisin verborum non raro esse maiorem in textu originali, quam interpretum latinorum vocabulo exprimi queat. Habeant et retineant laudem suam versiones latinae, salvis tamen et illibatis fontibus ipsis! Medicis placet legere Galenum et Hippocratem lingua originaria; philosophi Aristotelem graece tractare amant: proclive itaque est conii cere, quid conveniat Theologis. Dulcius sane ex ipso fonte bibuntur aquae! Quare ex ipsis adeo Pontificiis monet alicubi Gretserus: „textus Hebraeus hanc habet prerogativam, ut ipsa etiam verba immediate sint a Deo, quod in translationibus latinis non contigit.“ Quibus ita comparatis levis omnino videbitur alia defensorum *ἀνεβραϊστίας*

obiectio, qui futurum verbi divini ministrum, praecipue rusticanum, non opus habere dicunt studio linguae hebraicae Christianis parochianis, maxime rusticis, utique non proficundo. Eadem de causa omnia studia liberaliora, historica et philosophica, negligere possent, cum ea non magis, apud Christianos parochianos suos, praesertim rusticanos, sint professuri! Parochus scripturam non per solam variae interpretationis transennam eminus adspicere debet, sed eam penitus intueri et scrutari linguae sanctae subsidio adiutus: sic et certius docere et eruditis adversariis occurrere valebit. Hinc D. Hieronymus cum constituisset arcanas interpretari literas inaestimabili sudore trium linguarum, graecae, hebraicae et latinae, peritiam sibi paravit accuratam. Deviae saepenumero a textu originali versiones latinae quot peperint nova in ecclesia romana dogmata, ea praesertim aetate, qua Vulgatae editio omnia pene pulpita templorum et academiaram

occupavit; id quidem apud omnes Theologos partium non studiosos satis constat. Sunt porro qui dicant, ipsum grammaticae hebraeae studium nimium temporis et laboris absumere. Sed sciant illi, ipsam quoque linguam hebraeam multum differre ab omnibus occidentis linguis quoad scripturam, vocabulorum formationem atque syntaxin; sciant, accuratioris grammaticae huius linguae cognitionem facilius reddere linguarum Orientis reliquarum studium; teneant in genere, grammaticae cognitionem in cuiusdam linguae studio negligere velle, id esse navem permittere solis ventis sine pyxide nautica. Accedit, quod, si modo methodus adhibeatur conveniens, et grammatica a fictis et vanis Iudaeorum circa hanc linguam commentis libera, studium huius linguae fundamentale non ita multum temporis absumat nec adeo sit difficile. Burgundus quidem, Episcopus Ultraiectensis, cum et recentis munium sacrorum can-

didatis tres tantum admisisset et ab amicis moneretur reputandum esse, quod hoc seculum non gignat Paulos aut Hieronymos, iusto zelo respondisse fertur: „se nec Paulos nec Hieronymos requirere, saltem admittere nolle candidatos, qui cum habuerint occasionem addiscendi linguam sanctam ea non usi sint, textumque hebraicum ipsum interpretari non valeant. „

Gratulamur itaque Vobis, Academiarum ecclesiasticarum Curatores dignissimi atque amplissimi, insignem illam pietatem atque prudentiam, qua S. S. Theologiae studiosos linguam sanctam addiscere iussistis et studium linguarum orientalium omnium in vitam revocastis. Tanti beneficii praestantiam ut doceamus nos agnoscere, nihil nobis erit antiquius, nihil prius, quam ut summam navemus operam in solide instituendis Hebraeophilis celeberrimae huius Academiae Alexandro-Nevensis. Quam in hoc negotio sequendam putem methodum, id quidem

iam nuper dixi breviter in illo Conspectu, quem Vobis, Viri amplissimi, tradidi et in quo lectiones orientales per sex annos distribui. Neque vero etiam alienum a re et ab ipsius muneris mei ratione duxi, nonnulla adhuc commentari in illum Conspectum et fusius exponere, quae ibi dixi de lectionum cursoriarum, quas vocant, natura et indole, quaque ratione, ut Providentissimae Societatis ecclesiasticae ad dirigendas scholas consilio respondeat eventus, eas instituendas esse censeam, paratissimus alioquin mutare atque emendare, si vel ab aliis hac in parte exercitioribus rectiora edoctus, vel a Prudentissimis huius instituti saluberrimi Curatoribus magis congrua monitus fuero. Agam vero, ut ordine omnia procedant, *primo loco* de fine atque scopo harum recitationum. Quo cognito, de ratione ac constitutione earundem, quid sentiam, quaeque in illis laudanda, quae vituperanda iudicem, facile patebit. Quibus

secundo loco, qua lege ac methodo optime auditoribus consultum iri existimem, quaeque in hoc exercitationum genere a me expectari possint, brevibus subiungam.

Omnia, quae in maiori celeritate, quam rerum et argumenti gravitas poscit, perlegendo sacro codice nobis praecipue proposita esse solent, ad tria potissimum capita commoda revocari posse, mihi perspexisse videor. Vel enim, qui sacros hosce libros aut universos aut aliquos aliis cursim praelegunt, praefixum sibi habent, cognitionem praeceptorum grammaticorum nondum satis stabilitam et certam, instituta saepissime vocum hebraicarum flexione atque analysi, magis magisque confirmare; vel eo tendunt eorum consilia, ut haustam ex vocabulariis vel lexicis vocum ac locutionum hebraicarum notitiam ipsa lectione et usu menti eo firmiter infigant et hi memoriae discipulorum, qua non omnes aequè bene valere novimus, suppetias ferunt;

vel denique, quod gravissimum et maximae utilitatis esse arbitror, aliqua, breviori quam, nec morosius ubique excussa, sufficienti tamen et ad captum auditorum accommodata sensus literalis, quem vocant, explanatione ad interiorem et adcuratiorem quandam effatorum divinatorum interpretationem suo dein loco ac tempore suscipiendam auditores sensim sensimque adsuefaciunt ac viam veluti monstrant. Quo facto non solum animos discentium utilissimarum rerum cognitione adliciunt et ad maiorem quandam cum hebraeis literis familiaritatem contrahendam invitant, sed etiam, quod primum est, horum studiorum amore ita vincunt ac retinent, ut non facile, semel illarum iucunditate capti, resiliant.

Hic triplex, vel si secundum, quod commodissime fieri poterit, cum extremorum altero coniungere mavis, duplex est finis, quos vel singulos, vel coniunctos ob oculos habent, qui auditores suos, linguae

ac rerum notitia adhuc leviter tinctos ad altiora philologiae studia eiusmodi exercitationibus praeparare student. Eos vero, qui cum auditoribus scripturam sacram ea mente percurrunt, ut geographiae lumen accendant, vel res gestas primorum temporum illustrent, vel chronologiae difficultates extricent, vel antiquitatum aut aliarum rerum usum, quarum curatiorem cognitionem e re illorum forte iudicent, ostendant, huc non pertinere, quivis facile videt. His enim cum exercitioribus, nec talibus, qui lacte adhuc indigent, de quibus ego verba facere sustinui, rem esse, cuivis vel me haud momento, patet. Misso igitur vario aliorum, pro consiliorum varietate, scopo, de memoratis hisce finibus quid sentiam, num omnes secum plane per omnia constare possint, et sin minus, quos illorum, et qua ratione eos aptissime coniungi putem, ut paucis indicem, necesse erit. De posteriori, ceu generaliori, num scilicet omnibus

hisce tribus finibus simul satisfieri possit, et si hoc fieri non possit, quisnam eorum alteri praeferendus sit, et quantum unus alteri cedere debeat, ut prius dispiciam, naturalis rei tractandae ordo flagitat.

Equidem omnes hosce tres fines, si nec temporis, nec aliarum rerum ratio habeatur, simul obtineri posse, negare haud sustineo. Omnino fieri posse existimo, ut cum uberiore vocum, locutionum ac rerum dilucidatione coniungatur analysis, quae vocatur grammatica, idque sine ullo memoriae detrimento. At, si breve, quo circumscripti sumus in his scholis obeundis, temporis spatium mecum perpendo, ac si nauseam, quam horridior, uti pluribus videtur, vocum ad grammatica principia reductio secum vehit, mecum considero, primum atque ultimum scopum non plane secum consentire facile perspicio. Quod si vero porro, quisnam illorum finium alteri anteferendus, quis postponendus sit, quae-

ratur, et hinc se expedire non admodum difficile erit. In confesso est apud omnes qui scientiae rerum generalioris praecepta vel primoribus labris degustarunt, sicut omnium actionum et consiliorum nostrorum certus quidam debet esse finis, ita pluribus illorum concurrentibus, qui inter se minus conspirare videntur, ut omnes pariter obtineri nequeant, primarii illorum et maioris utilitatis potiore rationem esse habendam. Quam regulam si sequamur, non rigidior hic opus fore excussione arbitror, ut pateat, ultimum finem, quo uberiori aliquantum verborum ac rerum explanatione adiecta discentium in legendo studium excitemus ac teneamus, si non unicam, at praecipuam tamen legem, quam in arduo hocce negotio nunquam ex oculis dimittamus necesse est, praescriptam esse debere, et sic posteriori prae priori palmam deferendam esse. Iam dudum omnibus, qui ea, quae in rebus humanis fiunt, adtentius contem-

plari sueverunt, usu cognitum est, voluptatem, quam ex felici coeptorum nostrorum successu capimus, non solum omnes animi molestias ac taedia, quae nobis in quocunque rerum initio obrepere facile solent, detergere, sed etiam ad maximas laboris difficultates, quas in progressu rerum nostrarum subinde offendimas, superandas mirum quantum impellere atque incitare. Contra vero, ubi contentionum nostrarum fructus non statim percipitur, nihil frequentius accidere videmus, quam, ut optima ingenia, in quorum neque facultate neque studio discendi quicquam iure desideres, utilissimarum per se rerum fastidio statim capti a facillimis, iucundissimisque futuris — modo hic delectationis stimulus iis ab initio rite adhibitus esset — laboribus statim resiliant. Profecto, quicquid adgredimur, quicquid suscipimus, sicuti dimidium facti iam habemus, si haec voluptas comes nobis adsit, ita illa destituti, quantamcunque licet vim nobis

inferamus, rem vix inchoatam mox infectam relinquimus. Provocarem hic, si opus esset, ad tristem multorum experientiam, qui, quamquam iustum et debitum ad sacrorum fontium studium ardorem atque industriam adtulisse, ipsi haud diffiteantur, has tam necessarias literas, quibus, quicquid revelatis veritatibus certi inest, adeoque ipsa animi nostri tranquillitas nititur, non alia de causa tam cito deseruisse adhuc dolent, quam, quod primum huncce fervorem suum suavissimae ac solidioris cognitionis fructu non ali, sed potius oblato in dies asperiori linguae hebraeae cortice ac taediosa illa vocum ad radices suas revocatione, quam magistri ipsorum identidem crepabant, minui ac refrigescere senserint.

Nec incommode forsitan, id quod in transcursu dictum esto, multis in locis neglectarum adeo nostra aetate graecarum literarum culpam aliquam, in pravam, quae in plerisque scholis obtinet, consuetudinem,
*

qua audientium aures atque animos nuda ac sicca tali vocum flexione atque ad nau-seam usque iactata analysi, tunc temporis adhuc, quo positis iam huius sermonis fundamentis ad maius illius studium excitandi erant, obtundere sueverunt praeceptores, transtulerim. Sane est, quod non temere nec satis mirantur permulti, cum iuvenes iisdem animi dotibus instructos maiores tamen in gallico vel alio Occidentis idiomate, idque breviori plerumque temporis spatio progressus facere videant, quam in graeco, quod captu tamen admodum facile esse omnes, quibus vel levior cum graecis est familiaritas, diffiteri non possunt*). Parum itaque

*) In Academiis ecclesiasticis imperii Ruthenici et in nostra praecipue etiam, studium linguae graecae magis excolitur, quam in caeteris omnibus, quas cognoscendi mihi oblata est opportunitas. Non tantum in vertendo exercentur studiosi, sed etiam in graece scribendo. Sunt adeo, qui egregia graece loquendi facilitate gaudent. Ipse Dominus eminentissimus Archiepiscopus THEOPHYLACTUS, primis nostrae aetatis graece doctis adnumerandus, studium huius sermonis omni

voluptatis his grammaticae tricus, cui ex Quinctiliani praecepto immorandum, non immoriendum esse probe meminerimus, inesse, suo iam quemvis sensu edoceri existimo. Longe alia proinde quaerenda sunt praesidia, quibus omne, quod primis cuiusque rei initiis adesse solet, taedium dispellere, ac dulciores has literas reddere volupe est.

Talia vero longe plura atque amoeniora ad alacrius in hoc literarum orientalium studio progrediendum incitamenta ab ipso huius linguae usu ac percepto rerum in eadem exaratarum sensu peti, neminem nisi omnis dulcedinis, quam rerum utilissimarum vel modica secum feret cognitio, plane

modo studet excitare. In bibliotheca nostra academica reperiuntur scripta complura philosophica et theologica sermone graeco a viris ecclesiasticis doctis exarata. Haec exterorum causa adiecimus. De egregia Academiarum ecclesiasticarum praesenti constitutione et de bibliothecae nostrae libris quibusdam rarissimis atque apud exteros ignotis, alio tempore fusius nobis erit dicendum.

expertem inficias ire posse confido. Quid enim maiorem ad pergendum in hoc per Orientem itinere alacritatem addere potest, quam si ipsa quadam lectione instituta praeceptorum grammaticorum usum manu veluti tentare possumus? Quid gratius nobis, accidere potest, quam si praeunte magistro nativam verborum vim ac cohaerentiam ipsi detegere adsuescamus atque in ipsa idiomatis hebraei arcana, quae a primis huius linguae elementis rectius abesse iubent solertiores, sensim penetrare sentiamus? Quid porro dulcius, quid suavius esse potest, quam si ab eodem, quem nacti sumus huius sermonis, doctore, abhorrentibus ab aevo nostro ritibus atque opinionibus lumen aliquod accendi, et quae ad remotissimas Orientis res clarius cognoscendas faciunt, subinde adspergi videamus? Certe, qui horum bel-lariorum dulcedine capi posse negaverit, si nihil aliud, saltem corruptum per omnia sensum proderet. Planum itaque per haec

longius fortassis disputata, quam res, quae iam per se ipsa loquitur, postulet, me fecisse existimo, cum fastidiosa illa vocum resolutio grammatica cum amoeniore verborum ac rerum explanatione minus constare posse videatur, huic posteriori a priori illa victoriam concedendam esse. Interea non utriusque finis dissidium tantum esse arbitror, ut ullo modo inter se conciliari posse omnino desperem. Salva adhuc res est, quantumcunque hoc primo licet intuitu eorum discrimen videatur, si modo ad ea, quae de hac lite, qua facillime componi possit, paucis adhuc disseram, adtendere haud dedignemini. Accidere potest, ut, quae memoriae humanae est imbecillitas, vel facilissima grammatices praecepta excidant. Occurrunt hinc illinc difficiliore atque insolitae verborum formae, quae moram in legendo, adeoque taedium, quod abs tali haesitatione vix divelli potest, adferunt. Errorem hic, qui nullo pacto excusari posset, committe-

rem, et in primam, quam mihi posui, legem impingerem, qua nullius rei, quam retinendi in hoc literarum genere discentium studii potioem habendam esse rationem adserui, si analysin grammaticam ex scholis nostris plane proscribendam esse contenderem. Res iam ipsa tantum ex illa retinendum esse declarat, quantum ad ea, quae forte iam interciderunt, in memoriam revocanda et ad omnem huius viae moram eximendam, experientia duce, satis esse iudicabit idoneus harum rerum dispensator. Quibus rebus se ita habentibus, quae de ipsius sensus explicatione supra evici, non ea mente a me dicta esse facile animadvertit peritus harum elegantiarum aestimator, ac si hanc sensus historici detectionem utramque, uti loquuntur, paginam utique facere debere censerem, sed ut modo, cuius prior, cuius potior in hoc negotio debeat esse cura, ostenderem, probe alioquin memor, exercitationes hasce biblicas nomen

lectionum cursoriarum, quod eis vulgo impertimus, vix tueri posse, si adiectae verborum ac rerum illustrationes modum excederent; ac tempus, quod mihi praescriptum est, longiores eiusmodi excursiones omnino respuere. Nec ignarus sum, fusiores eiusmodi commentationes ad hunc lectionum hebraicarum cursum plane non pertinere. Quodsi enim tres ponimus lectionum hebraicarum cursus, quorum alter est grammaticus et statarius, alter cursorius, alter philologicus, apparet tertio quoque cursui sua eaque graviora et maiora merito relinquenda esse. Nec minus captui discentium parum recte consulere arbitror eos magistros, quos ingenio suo indulgentes et vanae gloriae litantes superfluis eiusmodi condimentis adspersis exiguas auditorum vires magis obruere quam sustentare iuvat. Sit modus uti in omnibus rebus ita in his quoque verborum rerumque illustrationibus. Sint certi fines, quos transilire piaculum commissum esto. Tantum

ex his dapibus delicatioribus modo adferatur in cursoriis his lectionibus, tantum ex generosiori hocce vino modo propinetur necesse est, quantum imbecillis eorum, qui non multo ante uberibus ablati videantur, stomachus concoquere, et quantum simul eos ad largius suo tempore ac loco bibendum provehere possit. Paucis, qui fastidiosam grammatices siccitatem cum iucundiore exegeseos philologicae ubertate sic temperaverit, ut neque necessaria priori alimenta subtrahat, neque posteriori superflua, quae ventriculum immodice irritent, incitamenta adhibeat, omne hic ferre punctum et officio suo ex asse satisfacere dicendus erit.

Haec fere sunt, quae de scholarum nostrarum cursoriarum sive festinantiorum natura et indole, quaeque in illis digerendis sit nobis ante oculos norma, monenda duxi. Ex quibus, quae eiusmodi recitationibus vitio verti debeant, quaeque in iis laudanda sint, iudicare admodum proclive erit. Nec

illos admodum moror, qui non omnia aëque probantes, aliter forsàn senserint. Sicuti suo quemque abundare sensu facile patior: ita mihi etiam ea, quae neque bonis rationibus carere cognovi, et quorum utilitatem iam aliquo annorum usu expertus sum, quaerunt animi, uti spero, aequitate, sequi concedent, dum graviorum argumentorum pondere aliam induere mentem coactus fuero.

Restat, ut de *altera* commentationis nostrae parte, quam nempe breviorum nostrarum recitationum formam optimam scholisque nostris convenientissimam iudicem, exponem. Eo autem breviori mihi in hoc argumento esse licebit, quo plura, ex quibus caetera sine ullo negotio poterunt confici, iam supra me adtulisse memini. Quam ob rem, ac ne idem bis dicere cogar, dum methodum, quam ipse in his scholis obeundis servandam duco, ostendam, eo ipso de optima illarum instituendarum ratione gene-

ratim quid sentiam, simul expositum esto. Paucis rem peragam.

Secundum Conspectum illum lectionum hebraicarum, quem tradidi Volis, Curatores Academiae Alexandro - Nevensis Providentississimi, nonnisi grammaticae regulis imbuti et aliqua lectione iam exercitati ad hunc sanctorum literarum usum cursorium admittendi sunt. Incipit nimirum institutio nostra ab introductione in studium linguarum orientalium in genere atque linguae hebraicae speciatim; sequitur tum collegium fundamentale hebraicum, atque explicatio analytico-stataria Pentateuchi. Ita probe iactis hebraeae linguae fundamentis ac perlectis iam quinque sacri codicis libris eo pervenerunt Hebraeophili Academiae Alexandro - Nevensis, ut lectionibus cursoriis meis non sine fructu interesse possint. Nihil mihi, Academiae Curatores plurimum reverendi atque amplissimi, prius, nihil antiquius erit, quam ut in aperiendis talibus recitationibus

sanctioribus eodem iuvenibus illis carissimis, quos suavissimos huius viae comites hucusque habui, praeceam in posterum studio atque ardore, quo me — praefiscine dixerim — hucusque secuti sunt. Accipite igitur, si placet, quibus viis S.S. Theologiae studiosos ad propositam metam ducere animus est.

Studiosorum quidem nostrorum sitim sanctissimorum fontium, quacunque fieri potest ratione, accendere haud negligam; attamen eum ex adlatis supra rationibus modum tenebo, ut illam licet non ad satietatem, tamen, quod ad naturale desiderium satis est, tantum expleam in hoc lectionum genere. Quem scopum ut adsequar, singulorum, quos ita percurremus, librorum auctores, si certa quaedam de iis adfirmari poterunt, indicare necessarium quidem existimo, attamen ex vitae ipsorum circumstantiis non omnia promiscue in medium proferam, sed ea modo eligam, quorum luce in intelligendis quibusdam eorum dictis carere

nequimus. Rectius fortassis tali adhibito rei temperamento iuventuti nostrae consulitur, quam inanibus eiusmodi coniecturis, quae nos plerumque longius, quam fas est, ab instituto nostro abducunt. Quo facto, ut filum, quod sequamur nobis sit, uniuscuiusque libri argumentum, scopum, ordinem, tempus, quo exaratus, quaeque insuper alia generaliora moneri possunt, quantum nostro instituto satis est, declarabo. In libris, qui historiam Judaeorum tractant, tempus et annos, quos singuli complectuntur, brevibus indicabo. Possunt denique libri etiam praecipui recenseri, qui in explicando quodam sacri codicis libro optimi sunt. Atque his ita maioris lucis causa praemissis, ad singulorum cuiusque voluminis capitum explicationem me accingam, et facta illorum ubi ubi opus est divisione, singulas has sectiones minores pronuntiatione clara, distincta ac rebus accommodata praelectas in linguam latinam

transferam. Nec quae ob dictionis, quo scriptores sacri utuntur, vel a nostra diversitatem vel brevitatem clarius adhuc lumen a nobis expectant, addita subinde longiori quadam verborum circumscriptione, uberius declarare intermittam. Cum vero et sic nondum omnia sua luce radiaverint, duplicem adhuc a me requiri operam sentio. Cum verbis ac locutionibus, tum rebus, quae verbis subsunt, lumen aliquod a me accendendum erit. In illustratione verborum ita mea versabitur industria, ut, transmissis ubique obviis, vocum rarius occurrentium vim ac potestatem ex ipso orationis ambitu, quem tutissimum hic prae caeteris ducem sequi licet, eruam et adductis aliis sacrae scripturae locis, si necessitas postulet, confirmem, haud neglectis insuper aliarum orientalium linguarum, nec non ipsius LXX interpretum versionis graecae praesidiis, quam haud infeliciter nonnunquam hic in subsidium vocari

posse ipsa re expertus sum. Cum porro pro diverso Orientis habitu et cogitandi ratione, magna etiam orationis a nostra deprehendatur diversitas, quae probe intellecta sicut nos inoffenso pede progredi sinit, ita minus cognita in legendo omnium maxime moratur et a recta saepissime via abstrahit: id mihi maxime adhuc negotii relictum esse existimo, ut has proprias Hebraeorum loquendi formulas explanem. Proinde in hoc mea praecipue cura eminebit, ut ostensis hisce Hebraei sermonis idiotismis et plane singularibus verborum consequtionibus ea removeantur impedimenta, quae nos alioquin ab hoc fontium studio quam maxime abstrahere solent. His etiam accenseo difficiliore vocum formas, quaeque a regulis grammaticae deflectunt. Nec hos solvere nodos, nec ipsam ad prima grammatices praecepta reductionem, quam analysin vocant, si aquam interdum haerere sensero, admiscere negli-

gam. Hae itaque verborum explanationes non contemnendam operae nostrae partem efficient, nec id incongrue. His enim si iam probe instructi fuerint iuvenes S. S. Theologiae studiosi, in reliquis etiam via plana ac facilis erit. Nec in his auxilio meo qualicunque illis deero. Habebunt me et hic ducem ac comitem. Et licet terrarum, rerum gestarum rituumque Judaicorum longior ac fusior recensio a nostro instituto abhorreat, non omnino tamen dulcissimis his ferculis carere eos patiar. Habebunt non solum ea, sine quorum cognitione sensus vel mancus vel nullus existeret, sed et illa adponam, quae suavissimarum harum rerum salivam ultra movere possint. Quod si effecero, non solum meo me satisfecisse officio arbitror, sed et eo auditores perduxisse laetabor, unde, quae restant in hac via, et si non

ubique plane expedita, attamen multo faciliora erunt ac planiora.

Habetis hic, Providentissimi Academiae nostrae Curatores, brevem recitationum nostrarum biblicarum earumque breviorum formam et speciem. Quam etsi non tam perfectam existimo, ut nihil amplius adiici posse censeam, fini tamen illi obtinendo, quem mihi hoc scripto proposui, iam sufficere arbitror. Cognovistis iam satis, uti sperò, ex paucis his dictis, qua norma ac via in his scholis incedere mihi animus sit, quaeque a me exspectare possitis. Nostis, inquam, animum meum et consilium. Nihil itaque praeterea addam quam hoc, quod cum lectionibus singulares complures auditorum exercitationes coniungendae videantur. Praeparati accedant ad lectiones, atque praeparationis exhibeant specimina scripta. Quae ex

recitationibus nostris didicerunt, ea domi scribant, et faciant dein et ipsi periculum interpretandi eo modo, quo nosmetipsi interpretamur, et ea ipsa quidem, quae nos iam interpretati sumus. Atque hic optima quaeque ab ardore et studio auditorum expectare licet: eam in hoc itinere ad hoc usque tempus ostenderunt alacritatem, eam assiduitatem atque laudabilem diligentiam, ut eam magis adhuc excitare velle superfluum videri posset. Dummodo non sistant cursum, quem hucusque tam praeclare tenuerunt; dummodo pergant hoc tam necessario fervore atque vigilantia, qua constanter adhibita, reliquum, quod est, viae sine ullo negotio conficere poterunt; dummodo et in posterum considerent, quae aliis, quae patriae, quae praecipue Vobis, Academiae Curatoribus Providentissimis, debeant, qui pro inexplebili Vestro, quo rei scholasticae laetam faciem vultis, desiderio, alumnorum

etiam nostrorum commodis in hoc studiorum genere hebraico clementissime prospicere haud dedignati estis. Certe tantam et tam insignem benignitatem et clementiam, prompto destituere obsequio, atrocissimum omnium iure videatur piaculum,

CATALOGUS LECTIONUM

PER SEMESTRE PRAETERITUM HABITARUM

IN

ACADEMIA ALEXANDRO - NEVENSI *).

Theologia hor. 11 et 12 diebus Lunae, Mercurii
Veneris.

Philosophia hor. 9 et 10 diebus Lunae, Jovis,
Sabbati.

Aesthetica hor. 9 et 10 diebus Martis et Veneris.

Mathematica hor. 11 et 12 diebus Martis et Jovis;
atque hor. 5 et 6 diebus Mercurii et Veneris.

Historia et Geographia hor. 11 et 12 diebus Mar-
tis, Jovis; atque hor. 3 et 4 die Mercurii.

Historia ecclesiastica hor. 9 et 10 die Mercurii;
hor. 11 et 12 die Sabbati.

*) Exterorum causa hunc catalogum generalem adieci-
mus. In sequentibus, mensibus Junii et Decembris
semper edendis, programmatibus quae speciatim pars
Mathematicae, Historiae etc. tradita sit, indicare non
omitemus, additis simul Professorum nominibus et
compendiorum titulis, fatis item Academiae memo-
ratu maxime dignis. Partes omnes Theologiae syste-
maticae Ecclesiae in Ruthenia Graecae orthodoxae
docet Academiae Rector summe venerabilis, Dominus
Archimandrita Sergius. Fortassis in programmati-
bus etiam de Seminario nostro, quod egregios Aca-
demiae offert, alumnos, nonnulla poterimus adiacere.


Lingua graeca hor. 3 et 4 diebus Martis et Jovis.
Lingua hebraica hor. 3 et 4 diebus Lunae et Sabbati.
Linguae gallica hor. 3 et 4 diebus Lunae et
Sabbati.
Lingua germanica hor. 3 et 4 diebus Lunae et
Sabbati.


KSIEGOZBIÓR
MARCINA ZAMOYSKIEGO

10880 -KZ

Corrigenda.

- Pag. 9 lin. 4 inde a fine pro *peperint*, leg. *pepererint*
— 10 lin. ultima pro *et recentis*, leg. *e trecentis*
— 13 — 9 pro *commnda*, leg. *commode*.
-





1-6

